



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Feria 2. Septem præcipui tituli quibus Christus Dominus dignosci potest.
Affectu potius quàm studio Christus cognoscitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Tertio deniq; sicut per peccatum expellitur Christus, ita per veram pœnitentiam revocatur & recipitur, *Ecce, inquit, sto ad ostium & pulsabo quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ille mecum.* Vox autem illa Christi pulsantis, vel est ipsa vox conscientia: per divinam gratiam excitata, vel ipsa est Gratia excitans & commovens internam vocem qua peccator provocatur ad resipiscentiam, quæ tam necessaria est ad recipiendum Christum per gratiam sanctificantem, quàm necesse omnino est ante expelli peccatum quàm illa gratia recipiatur. *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus, Convertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis.*

Hoc est dirigere & parare viam Domino, sic converti cum præveniente nos gratia. Hoc est quod clamat illa vox & gratia simul & conscientia, non modo quando aliquoties confitendum est & communicandum, aut quando jam parandi sumus ad proxima Domini natalitia: sed statim atque peccatum est, statim vox illa clamat, *Reverte, Reverte, Numquid qui cadis non resurget? Vade & clama sermons istos contra aquilonem & dices: Reverte a versarix Israel, ait Dominus, & avertam faciem meam*

à vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in aeternum. Veruntamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum pravaricata es. Sic Gratia in Scripturis, sic per Cōcionatores & alios innumeros modos excitare solet peccatorem: sed vix ullo modo aptiori quam per Conscientiam, quia hæc intus clamat semper & ubique clamat, libere clamat, nulli adulatur, nullum timet nisi Deum,

O quis ergo non audiat illam vocem? quis saltem non videat sic audiendam esse peccatori, si Christum à se expulsum velit recipere, ut nisi audiat illam vocem, nisi resipiscat, nisi convertatur, nunquam Christus revertatur. *Non ero ulrà à vobiscum donec CONTERATIS eum,* *loque 7.* qui reus est. Expende singula, & urge acrius quale sit motivum non differenda: pœnitentiæ quod Christus adsit intus vel absit, prout peccatorem vere pœnitet sui peccati. Parumne cuiquam debet esse tanti hospitis præsentia vel absentia? quid mundus sine sole? quid sine duce acies? sine pastore grex ovium? sine magistro schola? sine anima corpus? aut sine mente anima? Sic de te cogita si sine Christo sis. *Sicito & vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem meum apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* *loq. 2.*

Apo. 3.

Zach. 8.

Cant. 6.

Ier. 5.

Ibid. 3.

HAC HEBDOMADE, consideratur Verbum Incarnatum, residens in utero Virginis Matris. Varii ejus status sub numero septenario, sigillatim in dies recensentur, unde Veritates practicæ ad Amoris Divini gradus & effectus pernoscentes eruuntur:

FERIA SECUNDA.

SEPTEM PRÆCIPVI TITVLI QVIBVS
CHRISTVS DOMINVS DIGNOSCI POTEST.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum; qualis est dilectus ex dilecto. Cant. 5.

VERITAS PRACTICA.

Affectu potius quàm studio Christus dignoscitur
RATIO EST, Quia cognitio Christi, qualis
hic ad perfectionem desideratur, Dei potius do-
num est quod recte dispositis insudatur, quàm

quod humana conquiratur industria,
Sed ad donum hoc recipiendum, affectu magis
quàm studio disponimur.
Ergo & affectu potius quàm studio Christus cog-
noscitur.

F 2

I. PUN.

I. PUNCTUM.

EXPENDI primò debet, quòd cum homines naturà scire desiderant, nihil scitu desiderabilius, nihil excellentius, nihil utilius aut magis necessariù, quàm Christus Dominus. *Hac est, inquit, vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Tum sanctus Petrus: *Crescite vero in gratia & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Iesu Christi.*

Deinde verò adverte, quòd cum multa de Christo Domino investigari & sciri possint, tum verò quæ sunt præcipua ex septem ejus titulis esse petenda; sicque legendo vel meditando consideranda, ut quàm perfecte virtutes omnnes eius respondentes habuerit, quantoque propterea sit nobis cultu colendus, expendatur.

Hi autem Tituli sic breviter recensentur;

1. Tim. 2. Primus unde alii deducuntur, MEDIATOR seu REDEMPTOR, & SALVATOR HOMINUM. *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Ps. 109. *Hebr. 2.* 2. SACERDOS & PONTIFEX. *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech: Fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*

1. Reg. 33. 3. REX & DOMINUS. *Dominus Iudex noster, Legis noster. Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.*

Ephes. 4. 4. Totius mystici corporis CAPUT. *Crescimus in illo per omnia: qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum.*

Isaia 2. 5. PASTOR, seu DOCTOR. *Dabit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius.*

1. Joan. 3. 6. SPONSUS. *Qui habet sponsam, sponsus est.*

Hebr. 2. 7. FRATER. *Non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum Fratribus meis.*

Qui de his igitur Titulis melius senserit, is melius Christum cognorit, atque ut sic melius agnoscatur.

Sap. 1. *Affectu potius quam studio vel humana operâ est perquirendus. Ratio est expedita sicque paucis exprimitur quæ fusius meditando dilatetur.*

Nempe hæc Christi cognitio, donum est Dei potius quod recte dispositis infunditur, quàm quod humana conquiratur industria. Res est tam sublimis, tam divina & supra omnem humanam evecta intelligentiam, ut non nisi à Deo, & non nisi recte dispositis communicetur:

Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccati.

O miserandam illam

malevolam animam, quid nisi insipiens & insipida, in quam non intrat sapientia!

malevolam animam, quid nisi insipiens & insipida, in quam non intrat sapientia!

II. PUNCTUM.

AQUt ad hoc donum recipiendum, affectus magis quàm studio vel consideratione disponimur.

Non improbat studium nec consideratio, imo est diligenter adhibenda; sed in ipsa consideratione debet anima plus vacare affectibus concitandis, quàm discursibus extendendis. Dum enim Admiratione, Gratitudine, Confusione, Contritione, Compassione, Desiderio & aliis affectibus commovetur, purgat se cum Divina gratia à peccatis, malevolentiam suam excutit, divinæ Justitiæ satisfacit, & misericordiam provocat. *Andrvi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.*

Deinde vero, quando voluntas se suis pravis exuit affectibus, ut puriores induat, Ipse intellectus fit capaxior ad intelligendum, quòd minus ante vidisset: quippe qui ante velut nube & fumo, sic pravis obscurabatur affectibus;

Psalm. 100. *Intelligam & intelligam in via immaculata, quando venis ad me.*

Denique cum per communicationem voluntatum, & reciprocam affectuum retributionem, magis sentitur præsens Christus, magis etiam disponitur animus ad eum cognoscendum; sic enim melius percipitur quàm sit bonus & suavis, quàm fidelis & verax, quàm vere Pastor, Frater & Sponsus;

Quàm bonus Israel! Deus, hu qui recto sunt corde! Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.

Itane gustas? aut quam obrem non ita?

Psalm. 72. *Psalm. 33.*

III. PUNCTUM.

Sic igitur affectu potius quam studio Christus cognoscitur: Cum sic ad ejus cognoscendi gratiam sine qua non potest bene cognosci disponimur & aptamur.

Hac enim si vobiscum adsint & superent, inquit S. Petrus de piis affectibus, non vacuos, nec sine fructu vos constituet in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

Cui enim non præssto sunt hæc, cæcus est & manu tentans.

Atque hinc præcursor S. Joannes qui ad eum manifestandum totus erat, *Erat*, ut ait Dominus, *Lucerna a: dens & lucens;*

prius ardens, tum lucens. Nam quidam amando me intimo, ut est in libro aureo de Imitatione Christi, didicit divina, & loquebatur mirabilia: plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo discipulis.

Tu magis luci attendis quàm ardori. Tu ma-

ma-

magis pascere visu, quam gustu : magis scire appetis quam facere.

Hoc deplorandum, & contra ut deinceps magis afficiaris in orationibus, statuendum: Jamjamque ex unoquoque Titulo quem considerasti, affectum cum gratia elice congruentem. Salvatori gratitudinem exhibe, Pontifici

cultum, Regi honorem, Capiti demissionem, Doctori docilitatem, Sponso & Fratri amorem impende, repende, effunde coram illo cor tuum, & velut sancta Seraphim alis tuis te coniecta, vel potius sine te concitari & affici. *Quoniam quis Deus prater Dominum? Aut quis Deus prater Deum nostrum.*

Is. 6.

Ps. 17.

FERIA TERTIA.

SEPTEM SINGVLARES PERFEC-
TIONES VERBI INCARNATI RESIDENTIS IN
UTERO VIRGINIS MATRIS QUAE SINGU-
LAREM A NOBIS DILECTIONEM EXIGUNT.

Speciosus forma præ filiis hominum. Ps. 44.

*Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex milli-
bus. Caput eius aurum purissimum, guttur illius
suavisissimum, & totus desiderabilis. Talis est
Dilectus meus, & ipse est amicus
meus. Cant. 5.*

VERITAS PRACTICA.

Aurum ignitum est Amor Christi, in quo non tam ardor, quam puritas quaeritur.

RATIO EST, Quia ad amorem sui, Christus totum cor nostrum quaerit.

Sed non tam ardore quam puritate, totum Christo cor nostrum traditur.

Ergo in Christi amore non tam ardor quam puritas quaeritur.

I. P U N C T U M.

QUAM sic omni modo perfectus Dominus, quamque singulariter propterea sit à nobis amandus, & per se patet, & cogitari potest attentius. Sed quas præ cæteris infantibus singulares habeat in ipso Matris utero perfectiones, non ita forte liquet, & ad singularem ejus in nobis excitā-

dum amorem vel maxime opportunum est investigare. Hæ sunt autem septem in quibus considerandis plus minusve moræ dabis, pro affectu quem senties. Prima est SANCTITAS, nam cæteri infantes ordinarie in peccato concipiuntur, at ille sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cælo factus. Hebr. 7.
Secunda, USUS RATIONIS, seu vitilis infantia, Creavit Dominus novum super terram: Excelsa circumdabit virum. Tertia Divinæ sapientiæ & scientiæ thesauri ibi absconditi, de quibus Apostolus atque imprimis GRATIA CAPITIS, De cuius lenitudine nos omnes accepimus. Ioan. 1.
Quarta, COMMUNICATIO gratiarum cum sanctissima sua matre; Nullus infantum matrem suam eligit, nullus ex utero eam novit, nullus illi benefacit; Hic autem infans præterquam quod suam matrem elegit, sic illi sua

F 3.

com-